

methodo recurritur necessario, Ideas primarias illas, et secundarias a primis progredientes, uti Zoroaster docuit, et tertiarias etiam, et quartarias, atque alias. Nam quæ unitates, in se sunt Ideæ, in mente sunt ἔννοιαι νοεραὶ, conceptus intellectuales. In anima, rationes; in natura, semina; in materia formæ. Quæ iam vastos mundi sinus implent. Quibus rationibus Ideæ, non sunt sub concavo Lunæ, ut quidam Buratellus, dum Platonicum agit, somniavit; neque in patre; sed sunt ubi primo idearum nomen acquiritur unitates illæ, prima essentia, prima vita, primoque intellectu superiores, deinde sunt gradatim in essentiis, in vitis, in intellectibus, sibi propriis quibusque, Sunt deinde in animabus, in naturis, in qualitatibus, in formis materialibus, aliter pro singulis gradibus, atque aliter. Eo tamen inerrabili ordine dispositæ, ut superiores, proximarum succedentium sint causæ, hæc vero illarum, quantum pro gradus natura fieri possit, proximarum superiorum similes effectus. Atque hæc quidem tribus methodis, comprobata, additaque non obstinatis, nec iuratis, sed vere philosophis, satis ad primas quæstiones sunt.

De tertia vero, quid Ideæ sint, hæc pauca ex demonstratis sufficient. Omnia sunt ab uno. Ac proxime ab uno, est unitas. Ab unitate primaria, unitates reliquæ. Nam et omne producens simile sibi prius producit. Et omnis multitudinis caput, et fons, est unitas. Quot ergo in primo illo uno entia erant, ut est iam ostensum, (erant autem omnia) totidem sunt entia in unitate illi consubstantiali. Hoc est, totidem sunt ab uno, in unitatem primariam, unitates transfusæ ab uno. Unitas hæc opifex, harum unitatum omnium, proxima uno est. Ut ergo unitates sunt ab illis, ita ipsæ, quod iam sæpius repeto, alia de se producunt, rerum scilicet essentias, veras, stabiles, æternas, in eodem illo consubstantiali. Ab essentia prima, et alia in se motis, prodeunt vitæ, a vita prima. A prima vita, primus intellectus. Quid ergo fuit Ideæ? Unitates essentiarum verarum capita, et causæ. Capita inquam, quia omnis essentia a sua est unitate, sive a suo uno; sine quo ut iam ostensum, nequaquam esse possent. Igitur et causæ illarum sunt. Et quia hæc, sequentium quoque rerum, et extra profundum productarum, causæ itidem sunt, earundem harum, et Ideæ causæ sunt, et quidem primariæ, sed minus proximæ. Et quia intellectus primus, intelligendo se ipsum, intelligit suas ideas, intellectione sua, et intellectus alios, et animas, et naturas, et per horum media formas corporeas producit. De primo ad ultimum, Ideæ sunt formarum corporearum primariæ causæ, quamvis procul positæ: ut pote, quæ non nisi unitates sint, formæ vero hæc, sunt multitudo. Dicuntur autem exemplaria, quatenus conditor, dum in se respiciens, illas intuetur: et secundum eas rebus a se productis illarum similitudinem, pro cuiusque captu infundit. Atque ita ad illarum exemplum res dicuntur esse effectæ.

Genera vero idearum, quot nam statuenda? Plato quidem in *Timæo* quatuor videtur statuere. Animalium cœlestium, æreorum, a quatilium, terrestrium. Idque sane recta ratione. Nam sicuti ab uno sit duitas: sic a duitate protensa, sit quaternitas. Secundum quam fiunt, quæcunque fiunt, in quatuor rerum generibus, nimirum intelligibilibus, intellectualibus, supramundanis, et mundanis. Cum autem dico supramundana, intelligo ea quæ, sub intellectibus sunt, idest omnis generis animas. Cum vero mundana, tum naturas, tum etiam naturales qualitates, et formas, quæ a superis ideis huc descendunt per gradus quæque suos, quos iam diximus. In mundo autem quæ fiunt, vel in cœlo, vel in ære, vel in aqua, vel in terra fiunt. Atque ita sub quatuor nominibus omnes rerum generaturum species comprehendit. Sed aliter quoque quatuor sunt Idearum genera. Suprema generalissima, quæ per entia omnia meant. Quia sunt, essentia, identitas, alteritas. Nihil enim est in rerum universitate, quod his careat. Sunt vero aliæ Ideæ, specialissimæ, ut homo, equus. Hæc, uni tantum speciei causam præbent. Sunt inter has extremas, mediæ aliæ duplices, communiore, ut simile, dissimile, æquale inæquale, et aliæ generalissimis proximiores. Aliæ minus universales, specialissimis vicinæ, ut Iustum, pulchrum. Ab his ergo Ideis, quæ mundum constituunt primo intelligibilem, pluit quicquid in hoc sensibili est, vel genus summum, vel subalternum, vel species postrema naturalis. Nam cum mundus hic animal sit, animalia omnia complectens, ab